

DE
**FIDE LIBRORVM
MERCATORVM**

P. 216.
COMMENTATIO JVRIDICA

AUCTORE
JOANNE LUDOVICO CAROLO MEISTER
BREMENSI

DIE XXV. JULII MDCCCLXXXIX.

GOETTINGAE,
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.



ZV HALLE

DE

LIBER LIBRARUM MERCATORUM

COMMENTATIO LARHICIA

AVOTOLE

SOPHIE TABDONICA CAROLI MEISTER
BRUNNENS

DIE XXX JUNII MDCCCLXXIX.

GÖTTINGE

JULII H. W. GRAY, AGD. THEOGR.



INCLYTAE
LIBERAE SACRI ROMANI IMPERII
REIPUBLICAE BREMENSIS

SENATVI

SPLENDIDISSIMO ET AMPLISSIMO

PERILLVSTRBVS, MAGNIFICIS, EXCELLENTISSI-
MIS, CONSVLTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,
GRAVISSIMIS

DOMINO

PRAESIDI

DOMINIS

CONSVLIBVS

DOMINIS

SYNDICIS

DOMINIS

SENATORIBVS

PATRIAE PATRIBVS

RELIGIONIS LIBERTATIS ET JVSTITIAE
STATORIBVS FELICISSIMIS

PROPVGNATORIBVS VIGILANTISSIMIS

MVSARVM TVTORIBVS OPTIMIS

PATRONIS ET FAVTORIBVS

INDVLGENTISSIMIS BENIGNISSIMIS

SVMMA REVERENTIA IN AETERNUM COLENDIS

PERENNEM FELICITATEM

FAVSTISSIMOSQUE SUCCESSVS

PIE ADPREGATVR

SIMVLQVE

SE SVAQVE OMNIA

EA QVAIPAR EST REVERENTIA

DEVOTA MENTE COMMENDAT

TAN TORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS
AVCTOR.

VS

AE

1534

DIS

De fide librorum mercatorum.

§. I.

Multis magnisque gaudent mercatores privilegiis, & jam majores nostri magnum mercaturaे attribuerunt honorem, nec immerito. Nemo enim certe erit, qui facile in dubium vocet, reipublicae utilitatem maxime per commercia promoveri. Summam mercaturaे utilitatem necessitatemque pro dignitate commendare, breve temporis spatiū mihi praescriptum prohibet. Satis itaque sit, BALDI dictum, *mercatorum massam summum esse bonum & quintum elementum* a), hic referre.

§. II.

Prisci Romanorum reges, teste LIVIO b), ad augenda promovendaque commercia peculiare instituerunt mer-

cato-

a) SCACCIA de commerciis & cambio. §. I. quæst. I. nr. 68. & 73.

KLOCK in Tract. de aerar. Lib. II. cap. 25. num. 1. seq. num. 36. seq.

LATHERUS de censu L. I. cap. 12. num. 14.

b) Historiar. Lib. II. cap. 27.

A

catorum collegium; imperatores succedente tempore in commerciorum favorem multa nova promulgarunt edicta c), & imperatores imperii Romano Germanici eodem animo multa consilia de augendis colendisque commerciis, in comitiis S. R. I. inita, promulgarunt d).

§. III.

Sed ad rem accedamus nostraeque dissertationis titulum exponamus. Primo nobis occurrit fides, quae hoc loco nobis est actus quidam judicarius, quo quis, rem ita se habere, probare cupit, vel, secundum LAUTERBACHIUM e), opinio, qua judex credit, rem ita se habere.

§. IV.

Mercator dicitur a verbo mercari, quod emere significat, ac de quo verbo & merx dicta est & commercium f). Mercatorem in genere consideraturi, quamvis aliae existent descriptiones, cum STRACCHAG) eum putamus, qui nego-

c) CUIACERUS Lib. XVI. Observat. 23.

d) HENNIGES Meditat. ad Instrum. Pacis sp. VIII. FABRI Staatskantzley Tom. II. pag. 150. & 323.

e) In Compend. ad ff. tit. de fide instrum. p. m. 425.

f) GOED. ad L. 66. de verb. signif. n. 1.

g) In Tract. de mercat. p. I. num. 4. pag. 9.

negotiationum exercendarum quaeclusque liciti faciendi
causa merces licitas frequenter permutat atque emit, eo
confilio, ut easdem non minuantur nec mutata per se forma
distrahatur, sunt enim mercatores, qui res emant, easdem
que eadem in specie libentius vendant; nec vero omnes,
qui aliquid emunt, mercatores statim vacandi sunt. Si ver-
bi causa quis emit servum, vel quidquam aliud, quod in
vulgari loquendi usu merx vocari non solet, non mercator
sed venalitarius h) dicitur. An & quo modo *mercator* dif-
ferat a negotiatore, locus disquirendi hic non est i). In de-
finitione dixi, mercatorem frequenter merces permutare,
emere & distrahere debere. Hinc qui semel merces emit,
proprie mercator dicendus non est, sed is tantum, qui as-
fiduitate & frequenti negotiatione mercatoris officio se
dicavit, mercator est k). Quemadmodum una hirundo non
facit ventus l), ita nec ex uno negotiationis actu quis statim
fit mercator.

A 2

§. V.

h) SCACCIA de Commerc. §. I. quaest. I. num. II. L. 205. ff. de V. S.
L. 57. ff. mand.

i) Haec exponit MARQUARD de jure mercat. Lib. I. cap. 7, num.
II. sq.

k) MENOCHIUS de Arb. Jud. quaest. Lib. II. C. 4. cas. 399.

l) MARQUARD de j. m. Lib. I. cap. 7, num. 39.

Instituti iuris corporis §. V. quodcumque excedere possit

Merces non minuatim h. e. ad ultimam, mensuram, numerum, vel pondus distrahenda est, alioquin enim *mercatores* nihil a *propolis & revendoribus* different, qui omnia, quae ad victimum hominibus maxime conducibilia esse judicantur, pretio hinc inde modum excedente, sibi comparant, & poslea ea duplice pretio vendunt m). Deinde requiritur secundum definitionem supra datam, ut *mercator* merces non mutata per se, i. e. per *mercatorrem* ipsum, forma, distrahat. Nam qui merces emit, ut, mutata per se forma iterum eas vendat, non est *mercator* sed *artifex*. Sic autem se non habet, si *mercatores* merces emunt, easdemque non sua opera, sed aliena elaborari curant, quaestus faciendi caussa. Hi sunt manentque *mercatores* n).

§. VI.

Explicandus jam est *Liber*, scriptura aliqua privata a *mercatore* integrae vitae ac fidei rite consecuta & adorna-

ta o). Plures sunt *mercatorum* libri, sed non omnes ae-

m) KLOCK de aerar. Lib. II. cap. 25. que

n) STRACCHI P. I. num. 26.

o) KLEIN de probat. per libros mercat. cap. I. num. 32.

que iisdem gaudent privilegiis. Dividuntur in extraordinarios & ordinarios. In illorum numerum refertur praeceps liber dictus secretus (*das geheime Buch*) (ab obiecto sine dubio sic dictus, quia secreta patrimonii continet p), quem mercatores, diffusis negotiationibus occupati, propria manu confidere solent, in quo non omnem duntaxat patrimonii summam, sed & mercimoniorum rationem, quasi in brevi quadam tabula delineatam habent. Ordinariorum librorum mercatorum tres sunt: 1) *Diarium*, (*das Glidderbuch vulgo das Strazzo*) in quo, quae in nundinis expedienda, breviter adnotantur; 2) *Ephemerides seu adversaria mercatorum* (*Journal, Tag- und Handbuch, Kladde*), quibus ea insunt, quae singulis diebus gesta sunt, h. e. credita & debita q); 3) *Liber principalis*, (*das Hauptbuch, Maefstro*) in quo cuilibet debitori vel creditor i separatae adsignantur paginae, & debita creditaque ex adverso ponuntur. Extraordinarium vero nec non reliquos duos libros ordinarios mittimus ac tantummodo de *libro principali* hac in dissertatione acturi sumus.

A 3

§. VII.

p) KLEIN cap. I, num. 34.

q) SPATENS deutsche Secretar-Kunst im Anhang, sub tit. von Kaufmannsbriefen.

§. VII.

Librum supra diximus scripturam privatam. Haec autem pro scribente & jure naturali & jure romano parum, vel prorsus nihil probat r). Foretque, uti eleganter ait Imperator in allegata L. 7. C., exemplo perniciosum, ut illi credatur scripturae, qua unusquisque sibi annotatione propria vel debitorem constituere, vel a debiti nexu se liberare potest. Et in L. 10, ff. de testibus imperator, quemquam in propria causa testem esse posse, negat. Luculentissime inde patet, ex jure romano *libris mercatorum* seu privatis eorum annotationibus fidem nullam tribui posse s). Sed praxis hodierna *libris mercatorum* semiplenae probationis vim tribuit. Quum autem hoc privilegium unice ad favorem commercii spectet, inde sequitur, omnes, qui mercaturam, uti supra proposita & delineata est, exercent, illud sibi vindicare. *Libros mercatorum* semiplenae probationis vim habere, etiam omnium fere Doctorum sententia est. Quosdam horum celeberrimos hic allegare sufficit, qui sunt: STRACCHAT), CARPZOV u), HERING x), JASON y),

KLEIN

r) L. 5. 6. 7. C. de Probationibus.

s) MEVIUS ad jus Lubecense P. V. tit. 6. art. 4. num. 2. MASCARDUS de probat. Conclus. 977. num. I. t) P. II. num. 69.

v) CARPZOV in jurisprud. forensi P. I. Conf. 17. dif. 35.

z) de fidejussor. cap. XX. S. 1. num 17. y) In L. admonendi num. 127.

KLEIN z), quin immo statuta Hamburgenſia & Bremenſia a)
mercatorum libris hoc tribuunt privilegium; nec non ſta-
tuia Lubecenſia b), in quibus mercatorum libris plena vi-
probandi adſcribitur usque ad triginta marcas; ſi summa
vero major fit, ſemiplena tantum fide gaudent c).

§. VIII.

Cauſa hujus privilegii eſt, quia mox peritura eſſet
mercatura, niſi rite annotaret mercator libris ſuis debita
& credita, quare & uſurarius eodem privilegio, quo merca-
tor gaudet, utitur. Sed fundamentum non ſit in eo, uti
CARPZOV d) putat, quod in commercio (Handel und Wan-
del) ſere nulli litterales conficerentur contractus; ex quo
STRUHEN e) male deducit argumentum, argenteriorum li-
bris non ut mercatorum libris ſemiplenam fidem tribuen-
dam eſſe. Nec LEYSERI opinio f) recipienda eſt, qui mer-
catorum libris hoc ſolummodo caſu ſemiplenae probationis
vim

a) P. I. tit. 30. art. 6.

b) P. V. tit. 6. art. 4.

c) MEVIUS ad jus Lubeceſe Lib. VIII. tit. 6. art. 4. num. 7. EDZARD
in Differt, de fide librorum mercator §. 9.

d) P. I. Conſt. 17. dif. 35. num. 5.

e) In den rechtl. Bedenken Th. IV, Bedenk. 44.

f) Spec. 279. m. I. 2.

vim adscribit, si probatum sit, nomina explicata seu expedita esse, ac quaestio tantum super sit, an crediti vel debiti summam recte adnotaverit mercator. Hoc vero jam in omnibus casibus juris communis est g), & sic nullum esset, mercatorum libris privilegium.

§. IX.

Non omnes vero mercatores hoc privilegio gaudent, sed ii tantum, qui homines probi, integrae famae vitaeque sunt, & omnium opinione pro integris habentur viris h). Ratio hujus dari potest, quod fides libri mercatorii dependet a fide scribentis, quam ille, qui ob minus integrae vitae notam nullam mereatur fidem, frustra libro suo dare cupit. Quilibet autem mercator in dubio bonae fidei esse praesumitur i). Semper enim praesumtio pro parte meliori esse debet k), donec contrarium probetur; hoc vero legitime probato, mercatorem scilicet sublestae vitae ac fidei esse, liber ejus nullam habet fidem. Hinc libro *Falsarii*, aut ejus, qui suspectae vitae est, nulla attribuenda

fides,

g) C. 32. X. de Jurejur. L. I. §. 40. D. Depositi.

h) Statut. Hamburg. l.c. CARPOV P. I. C. 17. def. 35. STRYK de semiplena probat. cap. IV. §. 5. num. 15.

i) MEXIUS ad J. L. P. V. tit. 6. art. 4. num. 15.

k) Arg. L. 51. D. pro facie, cap. 6. fin. X. de praefumt.

fides; sed hi agentes exceptione suspecti libri statim a limite judicij repellendi sunt, quum infames in supplementum jurare nequeant. Sicque se habere credo, si infamia, ex commisso crimen falsi orta, post celebratum contractum supervenerit, quia sufficit, iam tempore ferendi testimonii inhabilitatem adesse l). Ex contracta quoque infamia haud levius & exigua suspicio sinistrae fidei & vitae male ante actae adest m). Sed si quis sciverit, hunc vel illum esse impostorem & falsarium, & nihilominus cum eo contraxerit, ejus liber contra contrahentem omnino probare & tamquam falsum, nullo modo rejici potest, quia contrahens tacite exceptioni, quam alioquin contra *Falsarii* librum habuit, renunciasse, & illius testimonium antea inidoneum, contrario actu approbasse, seque jure suo, quod cuilibet librum est, aliquid remisisse censeretur n).

§. X.

Ab his valde differunt *Falliti*, qui injuria fortunae & absque praecedenti culpa ad incitas redacti, bonis cede-

re

l) LAUTERBACH in Compend. ad ff. lib. XXII. Tit. 15.

m) MENOCHIUS de Praesumt. Lib. I. Praesumt. 33. num. 25.

n) L. 29. C. de Pactis. SOCINUS Lib. I, Cons. 17, num. 16.

B

re coacti sunt. Has enim mitius tractandos esse, aequitas omnino suadet, ne ipsis omnis spes bona recuperandi ac debita sua exigendi admatur. Ejusmodi enim mercatores injuria temporis ac fortunae laesi, ideoque tamquam personae miserabiles, favore potius, quam odio digni sunt; quippe nullius argui possunt criminis. Hinc illis, ut jam satis afflicti, juxta vulgarem juris regulam, nova afflictio nequam quam addenda. Et STRACCHA o) adserit, mercatorem, viatio fortunae propter insignem calamitatem conturbatum, ad mercatura exercitum redire non prohiberi. Quid ergo hisce obstaret, quo minus quam alii mercatores ex libris suis juxta recensita & requisita rite consecutis contra morosos debitores tempore adversae fortunae agere & debita sua exigere possint p). Ab his secessendi sunt illi Bancoruptores culposi aut spontanei, qui propria culpa bonis destituti sunt, vel qui infortunium aliquod simulantes, cum ingenitibus pecuniarum summis hinc inde mutuo acceptis fraudulenter atque consulto ausugunt fidemque frangunt. Hoc improbissimum genus hominum genus in omnibus merito suspectum, nullaque commiseratione dignum est, quia nul-

o) P. III. num. 36.
p) MARQUARD de jure Merest. P. IV. cap. 8.

lum infortunium passum est, aut si quod ferat, id sua cuius
pa sentiat. Hinc omnem fidem in dictis & scriptis amittunt q).

§. XI.

Paucis nunc mihi exquirendum est, quid de libris
Judaeorum mercatorum sentiendum, an & illis fides ha-
benda & semiplena probatio attribuenda sit? Haec quaes-
tio ardua est. *Judaeum contra Judaeum* ex libris suis
agere posse, nemo in dubium vocabit r). An vero *Ju-
daeus contra Christianum* agere possit, lis adhuc inter Do-
ctores est. Negantes hoc utuntur argimento: libros mer-
catorum esse loco testimonii, iam vero leges certissime in-
terdicere, ne *Judaicus* ad testimonii dictioinem contra *Chris-
tianum* admittatur s). Huic argumento jungi solet illud,
ex quo Judaei rigidis foeneratoribus adnumerantur, ipsi hoc
in passu fide destituuntur. Accedit & odium commune,
quod *Judei* contra *Christianum* habere dicuntur. His
missis, eorum sententiae accedo, qui & libris *Judaorum*

B 2

fidem

q) RUD. SALYMANNI Diff. de Bancoruptoribus. KLEIN Differt, cit.
cap. II. num. 40. seq.

r) L. 21. C. de haeret. & Manich.

s) L. 21. C. de haeret, & Manich.

fidem & semiperficiam probationem adscribunt^{t).} Sacrae enim aequae ac profane leges jubent, iustitiam absque habito personarum respectu administrandam & jus suum cuique tribuendum esse v), qua largissima juris & iustitiae administratione nec Judaei excludendi sunt, x); praeferunt postquam in societatem civilem recepti sunt. Ex hoc circa violationem juris naturalis & civilis extrudi nequeunt, quia iuribus humanitatis aequae ac *Christiani* gaudent y). Huic jungo, quod Judaei nostri pro certa quadam pecuniae summa, quam principi annuatim solvunt, in specialem tutelam recipiantur ipsisque plena commerciorum exercendorum libertas concedatur. Judaeis itaque mercaturam exercercentibus & sub eodem principe cum aliis mercatoribus christiana religioni addictis viventibus, idem jus circa exercendam mercaturam competere, fas est, quo Christiani contra illos utuntur. Requiritur autem in libris Judaeorum mercatorii, ne lingua judaica conscripta sint. Hoc

verbis

t) Hessen-Casselsche Juden-Ordnung §. 24. Chur Cöllnische Juden-Ordnung cap. IV. §. 5. BODINUS de libris mercat. suspectis, cap. II.

§. 6. KAISER de Autonomia Iudeorum, §. 55. L, B, de CRAMER Observ. 507.

v) pr. Inst. de Instit. & Jur.

x) SOCIN. in Conf. LXIII. num. 17.

y) arg. L, 3. ff. de Instit. & Jure,

verbis claris praescribit *Ordinatio Politica* z), hisce verbis:
Und damit aller Betrug und Bevortheilung bey ihren An-
leihen vermieden bleibe, sollen sie die Zetteln ihres An-
leihens nicht in jüdischer, sondern in deutscher Spra-
che verfassen &c. a). De hac materia, cui plura legere lu-
 bet, conferat F. G. SCHREIBER *de invaliditate librorum mer-*
caturam concernentium Judaica lingua conscriptorum
quoad probationem.

§. XII. quinque et triginta. Finis

Magna quoque inter Doctores contentio est, an liber
 mercatoris, ut dicto gaudeat privilegio, proprio manu con-
 scriptus esse debeat, nec ne? Alii sententiam adfirmativam
 defendunt, inter quos praecipue GAIL b) & MEVIVS c);
 alii vero negativam, inter quos fulget STRYK d), LAUTER-
 BACH e), CARPZOV f) aliique. Quamquam tam illustribus

B 3

viris

2) de A. 1577. tit. 20. §. 3. von Juden und ihrem Wucher.

3) Hessen-Darmstädtische Juden-Ordnung, §. 10. in GATZERTS tracta.

tu de jure Indaeorum in Hassia. §. 13.

b) Lib. II. Obs. 20.

c) ad Jus Lubecens. Lib. V. tit. 6. art. 4. num. 25.

d) de semiplena probatione, cap. IV. num. 6.

e) Concl. forens. Exercit. XLVII. Conclus. 17.

f) P. I. Constit. 17. def. 35. num. 8 & 9.

viris contradicere haud ausim, tamen cum STRACCHA g)
eorum sententiam sequor, qui, libros mercatorum proprio
manu conscriptos esse debere, negant. Quicquid enim in
mercatorum libris scriptum legitur, id omne eorum con-
sensu scriptum praesumitur, nisi contrarium probetur; &
mercatores nullos hisce libris praeficere, aut ad eos con-
ficiendos adhibere praesumuntur, nisi quos probos fide que-
dignos sciant h). Redundarentque magna certe inde in-
commoda in mercatorum rationes, si omnibus, quae ab
ipsis mercatoribus inscripta non sunt, fidem denegaremus.

§. XIII.

Transeo jam missis libri mercatorii respectu scri-
bentis requisitis, ad requisita materiam & formam concer-
nentia. Primo requiritur, ratione materiae, ut creditum
libro, a mercatore pro probando credito producto, inscri-
ptum, concernat ipsam mercaturam i). Privilegium itaque
semiplenae probationis ad negotia mercaturam plane non
concernentia, non extendendum est. Nam sicuti auctori-

tas,

g) de Mercat. P. II, num. 65.

h) STRYK cit. Dissert. cap. IV. n. 6. LAUTERBACH. I. c. Exercit. XLVII.
Conclus. 6.

i) L. 3. §. 2. D. Naut. Caup. Stab. KLEIN Diff. cit. cap. 2. num. 56.

tas, quae competit ratione officii seu exercitii mercaturaे, nec debet, nec potest operari ultra naturam ipsius officii k), ita & fides, quae mercatorum libris præstatur, non exten-
denda est ad negotia mercaturam non concernentia l). Se-
cundum quorundam vero locorum praxim liber mercatoris
etiam hoc casu, quo creditum mercaturam non concernit,
vi creditum probandi gaudet. Exemplum allegat KLEIN m)

§. XIV.

Secundo requiriatur, ut liber mercatoris contineat
verisimilia, careatque omni falsitate, ita, ut ex verisimilibus
circumstantiis & præsumptionibus possit esse verum, quod
scriptum in eo reperitur, habito respectu ad tempus debiti
contracti, solutionis factae, ad personas contrahentes &
ad locum contractus n). Concludo hinc, si verisimilia
non contineat liber, non gaudere insigni effectu probatio-
nis, quia speciem falsitatis habet o); & hac de re idem sen-
tien-

k) MARQUARD Lib. III. cap. 9. n. 35.

l) KLEIN cap. II. num. 61.

m) cap. II. num. 64.

n) STRACCHA de Merc. P. II. num. 6r. MASCURDUS Conclus. 976.

num. 82. & 92.

o) BALDUS in L. I. C. de Serv. fugitiw.

tiendum est, quod de testibus. Nam si hi non verisimilia pro testimonio deponunt, iis omnis in judicio denegatur fides p). Haec pauca de requisitis libri mercatorii ratione materiae sufficiunt, nunc progredior ad requisita, quae formam libri mercatorii concernunt.

§. XV.

Ad formam libri mercatorii exposcitur, ut aliquid contra se in codem libro conscriperit mercator, id est, ut in libro data & accepta, debita atque credita contineantur. Testis hujus requisihi est L. 82. ff. de condit. & demonstrat. in qua dicitur, rationes in folle conscriptas non prodesse, easque insufficientes esse q). Mercatores quae reperint nominatim, a quo & ex qua caussa scribere r), & quae vicissim cuique dederint, sigillatim adnotare tenentur s). Hocque omnino necesse est; aliter magna inde rationum confusio, magna que ex tali contra morem mercatilem conscripto libro, oriturae essent lites, nisi ad-

pareat,

p) L. 21. §. fin. D. de testibus. KLEIN cap. II. num. 76.

q) STRACCHA de merc. P. II. n. 56. & 60. MASCARDUS de Probat. Conclus. 978. n. 21. MEVIUS ad J. Lub. P. V. tit. 6. art. 4. num. 24.

r) arg. L. 5. C. de exact. Tribut.

s) arg. L. 4. C. de sucept. Propof. & arcari. STRACCHA de merc. P. II. num. 52.

pareat, quid acceptum quidve expensum sit. Et utile est producenti, ut data & accepta uno libro continentur. Nam si is, contra quem producitur liber, ea, quae in sui favorem scripta sunt, acceptare vult, etiam alia contra se scripta acceptare tenetur t). Sequitur inde, ratione libros, data vel accepta solummodo continentés, pro producente non probare. Rationes enim sunt scripturae, quae data & accepta, credita atque debita continent v).

§. XVI.

Requiritur porro, ut caussae debendi expressae, & distincte adnotatae sint x). Exceptio enim doli semper scripturae, expressam debendi caussam non continent, obstat. L. 2. §. 3. ff. de doli malo & metus except. Omnis etiam exulat crediti fides, ubi de caussa debiti ex obligatione seu ex instrumento desuper confecto, non constat). Caussa vero debiti non solum expressa, sed & clara & per-

spicua

t) KLEIN cap. II. n. 85.

v) L. 6. §. 3. D. de Edend. LAUTERBACH ad tit. D. de Edend. n. 5.

x) L. 25. §. 3. D. de Probat. STRACCHA de Merc. P. II. n. 60.

y) L. 13. C. de non numerata pecunia, L. 25. §. fin. D. de probat. Cap.

14. X. de fide instrum.

C.

spicua esse debet, si autem obscura & incerta sit, ut nihil certi inde colligi possit, pro non adjecta habetur z).

§. XVII.

Liber mercatoris etiam ita confessus esse debet a), ut omnis fraudis suspicio evitetur. *Chartae* hinc *rapso-
diae*, quibus mercator retiones suas confuse & sine ordi-
ne conscripsit, ad effectum probationis produci nequeunt b). *Manuale* mercatorum non probare duce MEVIO c) & MAR-
QUARADD), e quidem credo; contrarium vero tenent Nic. de
PASSER e) & Cardin. TUSHIUS f), dicentes: Manualibus seu
Giornalibus mercatorum vim probationis omnino esse con-
cedendum, quia codex rationum ex iis sumatur, sit veluti
protocollum, ad quod, si dubia circa libros mercato-
rum occurrant, redeundum ac recurrendum sit. *Schedulæ*
proprio mercatoris manu scriptæ probant & executionem

habent

- z) BALDUS in L. generaliter 13. C. de non numerat pecun. num. 4.
- a) arg. L. 13. §. 2. in fin. ff. de manumiss. testam. L. 6. §. fin. D. de statu libertat. MARQUARD de jure Mercat. Lib. 3. cap. 9, num. 42.
- b) MARQUARD Lib. III. cap. 9. num. 42.
- c) ad Jus Lubec. Lib. V. tit. 6. art. 4.
- d) Lib. III. cap. 9. num. 43.
- e) in tract. de scriptura privata Lib. V. Quaest. 36.
- f) Conclus. 346, num. II, lit. L.

habent paratam g), immo vi instrumenti publici gaudent h), ex ea ratione, quod bona fides maxime inter mercatores attenditur. Hoc vero vulgaris juris non est, sed in obviis casibus secundum loci statuta decidendum est.

§. XVIII.

Requiritur porro, ut liber sit justus, id est, ut omnia in mercatoris libro conclusive ad suam negotiationem pertinentia, sint conscripta a mercatore. Omnibus marginalibus & apostillis, quae non sine ratione suspectum reddunt librum, plane carere debet i); candidi sint & omni cancellatione & inductione & superinductione vacui, sin secus, juratur contra ipsum in item k). Exigitur denique, ut annus, dies & mensis dati & accepti libro sit adpositus. STRACCHA l), rationem adducens, dicit: *sine certo adposito die rationes implicitas & inextricabiles reddi nec explorari posse.* Si vero ex omissione anni, mensis & diei nulla ori-

C²

retur

g) BERLICH, Conclus. I. Pract. 80. n. 62.

h) Rota Genu. Decis. 126. n. 8.

i) LAUTERBACH in Conclus. Forensib. Exerc. XLVII. Conclus. 17.

k) MARQUARD Lib. III, cap. 9. nr. 39.

l) Part. II. n. 55 & 61.

retur obscuritas vel incertitudo & quedam suspicio falsi,
haec omissione non nocet in).

§. XIX.

Quidam Doctores requirunt adhuc, ut liber mercatoris habeat titulum & inscriptionem, ut animus concipientis inde patere posit in). Hisce tamen dictis neutiquam adeo stricte inhaerendum est iudici, sed ejus arbitrium & discretio accedere debet, eique, quando & quatenus his credendum sit, aestimandum committitur. Hunc enim, perensis omnibus qualitatibus & circumstantiis, quid probatum vel non probatum sit, scire oportet o).

§. XX.

Traditis in superioribus §§. requisitis, quibus liber mercatoris ad effectum probationis debet esse instructus, videndum nunc est, quanam illi gaudeant auctoritate, & quibusnam in caussis ex iis probationem petere liceat. Diximus supra, librum mercatoris esse scripturam privatum,

qua-

m) KLEIN cap. II. n. 129.

n) STRACCHA P. II. n. 53.

o) MEYER ad Jus Lubec. saepius cit. loc.

quae de jure civili nihil probare, at vero neglecta hac juris regula, ob insignem mercaturae favorem, libris mercatorum, generaliter praxin hodiernam vim semiplene probationis adscribere. Ex speciali duntaxat locorum statuto efficaciam plene probandi habent, deficiente autem istiusmodi statuto, non nisi semiplene probant p). Casus, in quibus vim, plene probandi, libris mercatorum attribuant Doct. recenset KLEIN q).

§. XXI.

Libri pro ipso producent probant, an etiam pro tertio & contra tertium? Multi Doctores adfirmant, multi negant. Sententiam KLEINI r) negativam meam facio, contrachum inter alios initum, non probari per librum mercatoris illius, quocum negotium gestum non est, quum actus unius in praecuditum tertii, cuius consensu gestus non est, quidquam obligationis producere nequeat s), quod utique eveniret, si contraria admitteretur sententia.

C 3

§. XXII.

p) STRYK de semipl. probat, cap. IV. §. 5. n. 8.

q) Diss. cit. cap. III. num. 20, segg.

r) Cap. III. num. 69.

s) L. 72, de R. J.

§. XXII.

Praecipuum, supra diximus, librorum mercatorum effectum esse semiplenam probationem, nisi aliud cujusdam loci statutis fanicitum sit. Semiplena probatio autem est, quae per se plenam judicii fidem ad ipsius caussae decisionem sufficientem non facit, sed alio adhuc indiget administriculo. Hoc administricum est *juramentum*, quod judex ei praestandum desert, qui productione libri mercatorii, legaliter qualificati, intentionem suam semiplene in foro probavit. Hoc juramentum, quod praestandum desert judex, est secundum communem Doctorum sententiam *juramentum veritatis*, nec *credulitatis* t). Desert autem judex juramentum vel ad instantiam partis v), vel ex officio x). Si omiserit juramentum deferre, ille, cui deferendum erat, ab ejus sententia adpellare potest y). Praesito a mercatore, ad librum suum provocante, juramento, probatio semiplena seu minus plena, perfecta seu plena redditur & confirmatur, & ex tali sententia jurans causae victoriam impetrat

XXX. 2

z).

t) STRYK Diff. cit. cap. V. n. 23.

v) LAUTERBACH in Colleg. Theor. Pract. thes. 23.

x) arg. L. 31. ff. de jurejur.

y) CARPZOV P. I. C. 23, def. 2. LAUTERBACH in C. Th. P. th. 73.

z) L. 31. ff. de jurejur. LAUTERBACH lib. cit. thes. 79.

z). Nulla autem est sententia si intra decendum ab ea appellatum sit a); Ob instrumenta etiam noviter reperta, ex quibus rei veritas clara est, eliditur, laesusque in integrum restituitur.

§. XXIII.

Quo vero tempore sententia, ex semiplena probatione, juramento corroborata, lata, transeat in rem judicatam, inter Doctores adhuc in controversiam venit; alii ad 100 annos, alii ad 1000 b), alii ad 30 annos hoc tempus restringunt c). Hancce in ultimam STRYKII & KLEINII sententiam ire mihi licet, ob rationes quas KLEIN d) allegat; 1) quia haec restitutio, quam concedit L. 31. ff. de iur. rejur. & L. 25. ff. de dolo malo e) ex jure civili & constitutionibus principum est; 2) quia actio in instrumento contenta 30 annis exspirat f).

§. XXIV.

- a) L. 12. §. 3. C. de appellat.
- b) STRYK cit. Diff. cap. V. n. 21.
- c) STRYK in Vsl moder. ff. de restit. in integ.
- d) Cap. IV. num. 78.
- e) LAUTERBACH in C. Th. P. th. 79. STRYK cit. Diff. cap. V. num. 20. MEVIUS P. I. Dec. 13.
- f) L. 3. C. de Praescript. 30 annor.

torum
cujus-
autem
ae de-
get ad-
judex
ri, le-
pro-
judex,
amen-
judex,
io x).
n erat,
atore,
mple-
onfir-
petrat
z).

De causa de semiplena probat. §. XXIV.

Effectus probationis, quae per mercatorum libros sit, is quoque est, ut semiplena probatio, ex libro mercatorio orta, cum alia semiplena conjungi possit, ad plenam & integrum probationem exinde eruendam g). Hinc mercator per unum testem omni exceptione majorem defectum semiplenae probationis supplere potest, eique judex juramentum suppletorium deferre non debet; partim, quia duae semiplenae probationes, una ex libro mercatorio, altera per testimoniū, plenam faciunt probationem; hincque aliis administriculis non opus est; partim quod ad hoc juramentum non deveniatur, quando aliis caussae exitus adhuc reperitur, & probationum ihopia non adest h).

§. XXV.

Quaestionem, an hoc mercatorum privilegium una cum mercatoris persona pereat, an vero ad heredes transeat & devolvatur, hic disquirere a re haud alienum videatur. Quoad hancce quaestionem unanimis Doctorum sententia est, heredes ex defuncti libris debitorein morosum,

g) L. 5. C. de Probat. L. 16. C. de Poenis.

h) L. 51. ff. de jurejur. cap. II. X. de Probat.

acce-

accedente juramento suppletorio, quod tamen hic nomen mutat, & jurisjurandi credulitatis speciem induit, convenire, & praefrito juramento eundem plene convincere posse i). An vero libri mercatorum defunctorum plenam inducant probationem, paucis adhuc disquirendum est. Non nulli Doctores hanc sequuntur sententiam, inter quos praeципue refero GAILIUM k) diccentem: *librum rationum mortuo scribente plene probare, quia mors vim juramenti habeat, nec verosimile sit, morientem falsam scripturam reliquerum l).* Verum quum non omnis moriens praesumatur JOANNES BAPTISTA m) & aliae praegnantes rationes de contrario adsint, cum CARPZOVO n) statuimus, solum adseritionem seu annotationem mercatorum in libris rationum factam, non mereri fidem, quia nullibi a jure nostro dispositum est, morte in instar juramenti esse, aut jurisjurandi efficaciam habere. Lege autem tacente, non satis tutum est, aliquid adserere, praesertim, quum juramentum, quod

i) CARPZOV. Lib. VI. Resp. 121. STRUVIUS in Exercit. ad ff. Exercit. XXII. §. 26. MEVIUS P. VII. Decif. 233. & P. IV. Decif. 262.

k) Lib. II. Obs. 43. n. 5.

l) AYRER in Process. Histor. Jur. P. I. cap. 9. Obs. 8. n. 7.

m) MENOCHIUS de Praesumt. Lib. V. Praesumt. V. n. 7.

n) Lib. VI. Resp. 122.

quod mercatoribus ad fidem plene faciendam a judice defertur, suppletorium, necessarium & solenne sit, quod per mortem remitti nequit, sed heredes juramento librum defuncti confirmant, necesse est o). Et quamquam ex L. 6. C. de Probat. appareat, rationes defunctorum aliquam prae-
sumptionem inducere, hoc tamen ad plenam probationem cum GAILO non est extendendum, ob rationes ex CARP-
ZOVIO desumptas. Admitti tamen potest plena probatio eo
in casu, in quo mercator contra debitorem actionem jam
instituit & pro libro producto semiplenam fidem obtinuit
ipsoque a judice iusjurandum suppletorium adjudicatum sit,
quod non solum legitimo tempore acceptaverit, verum
etiam certum terminum ad realem juramenti praefatio-
nem praesigendam curaverit, sed ad praestandum iusju-
randum paratus repentino morbo eruptus paulo post ino-
pinata morte & viventium numero sublatus, eaque impe-
ditus sit, quo minus jurare potuerit. Tunc enim, si de-
functus alias fuerit vir honestus & bonae famae mors
quoad probationem aliquid operari potest. Nam ejusmo-
di casu obveniente juramentum pro praestito merito ju-
re habetur p), nec minorem fidem, quam juramentum
ipsum, meretur.

o) MVLius de libris mercatorum cap. VIII.


p) MEVIUS P. VII. Decis. 233. & P. IV. Decis. 262.

Göttingen, Diss., 1788-89

f




Sb.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-314912-p0034-1

DFG



DE

FIDE LIBRORVM MERCATORVM

P. 3/6.
COMMENTATIO JVRIDICA

AVCTORE
JOANNE LUDOVICO CAROLO MEISTER
BREMENSI

DIE XXV. JULII MDCCCLXXXIX.

GOETTINGAE,
TYPIS H. M. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

